



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XVI. Sensus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Non annorum canities est laudanda; sed morum: nullus pudor est, ad meliora transire. Id. ep. 31.

Verè senectus illa venerabilis est, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea est enim reverenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus, effulgens. Quæ est enim verè ætas senectutis? nisi vita immaculata; quæ non diebus, aut mensibus, sed sæculis, propagatur. Id. ep. 60.

Nihil longum est, quod finem habet: & omnis retrò temporum series transacta non prædest; nisi fortè bonorum operum vitium præparaverit, S. Hieron. Proem. in l. 3. c. 8. Ezech.

Moribus canis a juventute: cui secundas post Apostolos partes tempus solum dat. Temporis enim natura in præterito, & futuro. Quod ad virtutem, & vitium, attinet; eodem modo sese habet: in libero enim arbitrio, atque proposito voluntatis, non in tempore, bonum consistit. S. Gregor. Nyss. orat. funebri de S. Basilio fratre suo.

Hos graves, & honestos, servos dico; non minus virtutis, quam senectutis, nomine venerandos: quorum ut corpora temporis diuturnitate debilitantur; ita animæ Deo juvenescunt. S. Gregor. Naz. orat. 24. in laudem, Cæsarii Fratris.

Denique indormiscit plena, non humanorum dierum, quos ne in votis quidem habebat; sed dierum secundum Deum exactorum: ita plena, ut hæud sciam, an perinde quisquam eorum, qui in locupletissima senectute mortem obierunt; ac multos annorum orbis, conversionesque, numerarunt. Id. orat. 25. in laudem tororis suæ Gorgoniæ.

Expers timoris Domini securitas cogitationem puerilem facit. Et timor Domini etiam juvenes senes reddit. Sanct. Ephrem s. de tim. Dom.

Cana consilia in annis puerilibus meditabatur. Ennodius de Epiphania in ejus vita.

Agebat senem moribus annis puer. S. Bernardus in vita Malachiæ Ep.

Sicut sapientia dat canos; ita, quidquid viri est, tollit insipientia. Hunc ergo juniorem (filium prodigum) mores præstitere, non ætas: seniore illum, non tempora fecerunt esse, sed sensus. S. Chrysol. l. 5.

Non magnum est, imò magis malum est, multis vixisse diebus, si non tenueris virutibus; cum puer centum annorum sit moriturus; & peccator centum annorum maledicendus. II. 65. 20. Guarricus s. in Purif. B. V.

Melior est senectus morum, quam annorum; meritorum, quam temporum. Richard. à Sanct. Vict. de differ. Sacrif. Abrahæ, & B. V.

§. VII.

Miscellanea.

Qui dudum infans, subito puer; qui puer repente juvenis, & usque ad senectutem per spacia mutatur incerta; & ante se senem intelligit, quam juvenem non esse se miratur. S. Hieron. in II. c. 40. v. 2.

Ut æqualium usus dulcior, ita senum tutor est: qui magisterio quodam, & ductu vitæ, colorat mores adolescentium; & velut murice probitatis insicit. Sanct. Ambros. offic. l. 1. 43.

TITULUS XVI. SENSUS.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Quinque reges Gen. 14. 2. quinque sensus corporis nostri sunt. Merito reges dicuntur: quia habet suam culpa dominatum, habet regnum grande. S. Ambros. de Abrah. l. 2. c. 7. Per quinque Reges Sodomorum designatur regnum carnale quinque sensuum; in quibus præest concupiscentia gula. S. Thom. Aqu. hic.

Quando commovebuntur custodes domus. Eccl. 12. 3. Pro commovebuntur, Cajet. & Tigur. vertunt; *tremunt*. Campenl. *debilitati fuerint*. Qui sunt hi custodes domus, id est, corporis? hæc enim est domus, in qua habitat anima. Lyran. Titelm. & Vales Sacr. Philos. c. 66. accipiunt omnes sensus; præsertim oculos, & aures; qui quasi custodes, & vigiles, excubant; ne quid in corpus noxæ ingrediatur. Hi in senibus commoventur, debilitantur, & deficiunt. Cornelius hic.

Dicit aliquis, quoniam Tactus est in prima vocatione; propterea, quod dictum: non manducabitis nec tangetis. Gen. 3. 3. Odo- ratus autem misericordia; propterea, quod dictum est de Noë Gen. 8. 21. *odoratus est Dominus odorem suavitatis*. Gustus autem est in Abrahæ vocatione; quod angelos pavit. Auditus in Moysæ; quando de caelo audita vox Dei. Visus autem, qui super omnes sensus honorabilior est, in adventu Christi significatur; quando oculi beati Christum viderunt. Origenes tr. in Matth. 20. de vocatis ad vineam.

Sensus corporum quasi equi sunt, sine ratione currentes: anima verò in aurigæ modum, retinet fræna currentium. Et quomodo equi absque rectore præcipientes ruunt; ita corpus sine ratione, & imperio animæ, in suum fertur iterum. S. Hieron. l. 2. adv. Jovin.

Sicut apes in floribus, sic sensus in delectationibus, vagantur. S. Bonaventura l. 3. D. 9. Pent.

§. II. Sen-

§. II.

Sensus frænandi, & mortificandi, motiva.

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Gen. 2. 7. S. Ambros. ep. 42. Nunc intellige, quâ causâ Dominus Deus insufflavit in faciem hominis: ibi enim sensus omnis; ibi sedes, atque illecebra, delectationis; in oculis, auribus, naribus, atque in ore: ut sensus nostros adversus delectationem fortiores faceret.

Vade, & proficiscere in Mesopotamiam in domum Bathuel. Gen. 28. 2. Bathuel sapientia dicitur, interpretatione Latinâ filia Dei. In domum ergo sapientiæ mittitur Jacob, & accipere jubetur uxorem è filiabus Laban; qui habitabat in Charran, quod significat cavernas: in quibus species est sensuum, qui sunt tanquam in cavernis corporis: auditus in auribus, odoratus in naribus, in ore sapor unde ei dicit Rebecca, habitaturum paucos dies cum illo, non multò tempore; nè corporeis coloretur voluptatibus, & sæculi capiatur illecebris. S. Ambros. l. de fuga sæculi c. 4.

Curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. Nunc interim, ut videretur, sponsa consociatis sibi adolescentulis multis, ab uno solo sensu, id est, odoratu tantummodò capta; currere se in odorem unguentorum sponsi, commemorat. Quid, putas agent: tum & audituræ earum, & visum, & tactum, gustumque, occupaverit verbum DEI? & singulis quibusque sensibus, virtutes ex se competentes naturæ earum, capacitati que præbuerit: ita ut oculus, si videre potuerit gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti à Patre; aliud ultra jam videre nolit: neque auditus aliud, quam verbum vitæ, & salutis, audire. Sed & cujus manus palpaverit de verbo vitæ; nihil ultra materiale, nihil fragile, caducumque, palpavit. Nec Gustus cum gustaverit bonum verbum Dei, carnemque ejus, & Panem, qui de coelo descendit; aliud quid post hæc gustare patietur. Præ dulcedine namque illius, & suavitate, omnis reliquus ei sapor asper videbitur, & amarus: & ideo hoc solum vescetur. Origenes hom. 1. in Cant. hic.

Ascendit mors per fenestras. Jerem. 9. 21. Et domum ingreditur; cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. S. Gregor. mor. l. 21. 2.

Quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat; carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt: & nisi interioris gravitatis pondere, & quasi juvenili quoddam vigore, refrænentur; ad fluxa quæque, & levia, mentem enervem trahunt. Idem ibidem.

Si sciret Paterfamilias, quâ horâ futurus esset, &c. Matth. 24. 43. Paterfamilias est spiritus rationalis, videlicet anima nostra; cujus familia sunt cogitationes, affectiones, & opera: domus verò ejus, corpus hoc est corruptibile: fur verò est tentator. Debet ergo spiritus noster incessabiliter vigilare; nè

diabolus per fenestras corporis, id est, per sensus exteriores, introeat habitaculum animæ; neque perfodiat illud, inducendo laqueos tentationum per corpus. Dion. Carth. hic.

Quis inter tot passiones hujus corporis, inter tantas illecebras hujus sæculi; tutum, atque intemeratum, servare potest vestigium? Respexit oculus, & sensum mentis evertit: audivit auris; & intentionem flexit: inhalavit odor; & cogitationem impedit: os libavit; & crimen reddidit: tactus contigit; & ignem adolevit. S. Ambros. l. de fuga sæculi c. 1.

Quid autem amo, cum, te amo non speciem corporis, nec decus temporis, nec dulces melodias non manna, & mella: non hæc amo, cum Deum meum amo. Et tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quandam odorem, & quandam cibum, & quandam amplexum; cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum, interioris hominis mei: ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus; & ubi sonat, quod non rapit tempus; & ubi olet, quod non spargit flatus; & ubi sapit, quod non minuit edacitas; & ubi haeret, quod non divellit satietas. Hoc est, quod amo, cum Deum meum amo. S. August. Conf. l. 10 c. 6.

Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova! serò te amavi! Ecce intus eras, & ego foris; & ibi te quarebam; & in ista formosa, quæ fecisti, deformis iruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ, si in te non essent, non essent. Vocasti, & clamasti; & rupisti furditatem meam. Coruscasti, splendisti; & fugasti cœcitate meam. Fragrasti; & duxi spiritum; & anhelum tibi gustavi; & esurio, sitio. Tetigisti me; & exarsi in pacem tuam. Id. ibid. c. 27.

Animus magis amandus, quam corpus. Quid huic adversatur? Sensus. Resistendum ergo sensibus totis animi viribus? liquet. Quid si sensibilia nimium delectent? fiat, ut non delectent. Unde fit? consuetudine iis cavendis, appetendique meliora. Id. ep. 151.

Et oculos, & os, & auditum, propterea posuit in nobis Deus; ut omnia ipsi membra fervirent: ut, quæ ipsius sunt, audiamus; quæ ipsius, loquamur; quæ ipsius semper operemur; etique laudes canamus assiduas, & gratias per cuncta referamus. Sanct. Chrysost. hom. 2. in Matth. c. 1.

Non sensus accepimus ad mortem, sed ad vitam sempiternam. Ob id enim dati sunt oculi; ut caelestia, atque terrena contemplanter, inde gratias immortales Deo maximo ageremus. Ob id aures affixæ; ut, quæ honesta, & laude digna; nobisque, & cæteris, profutura sunt, auscultaremus. Ob id os efformatum, dentibus, & labiis, duobus veluti claustris obseptum; nè quidquam temerè effuieremus; sed graviter, graviter omnia, atque prudenter, eloqueremur, ad summi illius omnium Conditoris præconium, & laudes. Philo Carpath. in Cant. 4.

Si oculos tuos avertis, nè videant vanitates, nè mulieris aspiciant pulchritudinem in peccati

peccati lequeum; neque concupiscibilia quæque intueantur; oculos circumcidisti tuos. Si obturas aures, ne audiant obrectatores, obscœnaque carmina: si à nitore & odoramentis voluptuosius odoratum amoves: si à potatione superflua, & à lautioribus ferculis, atque ab omni abundantia ciborum, cohibes appetitum: si ab universis muneribus, contrectationibus impudicis, & percussionibus, manus excutias: procul dubiò in his omnibus, aures, nares, os, & manus, carnis spiritaliter circumcidisti. S. Laur. Just. in Circumc. D.

Anima nec se, nec Deum, cognoscit; nisi se retrahat ab omnibus sensibus carnis, tanquam eam impediens. Sancti Bonaventura f. 9.

Quisquis foris sensus suos per timorem Dei à delectatione carnis non restringit; quæ sit interni boni dulcedo, gustare non poterit. Hugo à S. Vict. in Pf. 13.

In vesperis cantantur quinque Psalmi, propter quinque sensus: ut videlicet, quod per quinque sensus corporis commissum est, per quinque Psalmorum cantionem dimittatur. Beletus ration. div. offic. c. 52.

Obstrue quinque fenestras; ut luceat domus, & habitans eam. Proverbium Arabicum centur. 1. n. 9.

Sensus animi.

Sicut in corpore quinque corporei sensus sunt, ita in anima sunt quinque sensus spirituales: Visus est Fides: Auditus obedientia: Gustus amor: Olfactus spes: Tactus patientia. Anima in peccato jacens, hos omnes sensus ligatos habet: ita enim credit, acsi non crederet; ita sperat, acsi non speraret, absque obedientia, patientia, & amore. S. Bernardus l. de quinque Sensibus.

TITULUS XVII. SEPULCHRA.

§. I.

Propriè nostrum.

ADvena sum, & peregrinus apud vos: date mihi jus sepulchri. Gen. 23. 4. dicebat Abraham ad habitatores Heth. Sciant divites, nobiles, principes, reges, speciali jure, præ omni possessione, vocare sepulchrum suum, quod diutissime possident. Alvarez Illustr. 309.

Confirmatus est ager Sc. Gen. 23. 17. Abraham in Chanaan non habuit domum, non agrum proprium, sed tantum sepulchrum proprium: quia volebat, Dei monitu, esse peregrinus in vita, tendereque in cœlum. In morte autem, quasi interminio, ac confinio cœli, proprium sibi, suorumque fidelium, poposcit locum: ne cum infidelibus requiesceret. Cornelius hic.

Repositus est in loculo. Gen. 50. 25. Abul: loculus dicitur parvus locus; & significat sepulturam, quæ parva est, quia ad mensuram hominis fit. Alia autem loca, in quibus homo vivus manere solebat, spatiosa sunt; ut domus. Eadem arcula, quæ Pro-reges, & reges claudit; claudit ossa mendici, vel miseri servi. Urna Joseph aularum compendium; & adhuc locus est pro hospitibus vermicibus. Alvarez Illustr. 368.

Sepulchra eorum domus illorum. Pf. 48. 12. Nam, amplissima licet palatia, superbæque alia ædificia, non domus sunt, sed hospitia; in quibus paucos annos habitant: in sepulchris vero manent usque ad Judicium. Barradius l. 4. l. 5. c. 11.

§. II.

Sepulchrum Adami sub Cruce Christi.

Chrisli sanguine conspersa creditur calvaria; qui sub loco, quod crux Domini fixa est, hujusmodi. Sacra. Tom. II.

matus traditur ab antiquis. Sancti Cyprianus de Rurr. Chr.

S. Ambrosius ep. 19. in monte Golgotha sepulchrum ait Adamum.

Antiquorum relatione refertur; quod Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus: & ideo Calvaria locum dictum esse; quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè non incongruè creditur: quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus Sc. S. August. ser. 6. D. 1. Quadr.

Communis Patrum sententia est, cranium Adæ sepultum esse in monte Calvaria; ut ibi Crucifixi sanguine rigaretur. Cornelius in Gen. 5. 2.

§. III.

Miscellanea.

Mortuus est Moyses servus Domini, & non cognovit homo sepulchrum ejus. Deut. 34. 5. 6. Et cur latet tanti viri tumulus? cur non splendidum ei erigitur marmor cum insculpta virga, tot prodigiorum patratrice? S. Ambros. l. de Cain, & Abel: Sepulchrum Moyfi nemo novit, quia vitam ejus omnes noverunt. En amplissimum Mausolæum; quod nulla vetustas, nullus imber, non aquilo, diruere poterit. Alvarez Illustr. 354.

Et circuibunt in platea plangentes. Eccl. 12. 5. Propriè accipias hunc circuitum: quia solebant circuire sepulchra, tam Gentiles, quam Christiani. Unde S. Hieron. in c. 40. Ezech. dum esset Romæ, solebam cum cœteris ejusdem ætatis, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum, circuire. Cornelius hic.

Efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 7. 12. Efferebatur extra urbem humanus.